

Testamentum ... ex
schedis bibliothecæ
acad. : Upsal. editum.
[Disp. acad. ...

Katarina Jagellonica,

25 T 2 h Br.



National Library
of Sweden

CATHARINA JAGELLONICA

Hirt. Po.

Johan III

(P. 1)

o

Kungl. biblioteket



0 0000 000047649

Heat
to
Joh. III
(180)

TESTAMENTUM
CATHARINÆ JAGELLONICÆ, REGINÆ SVECICÆ,
EX SCHEDIS BIBLIOTHECÆ ACAD. UPSAL.
EDITUM.

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. UPSAL:

PRÆSIDE
MAG. JOH. HENR. SCHRÖDER

REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO, HISTOR. LITT. ET ARCHAEOLOG. PROF. REG. ET ORD.
NUMOPHYLACII ACAD. PRÆFECTO, REG. ACAD. LITT. HUM. HISTOR. ET ANTIQ. STOCKH.,
REG. SOCIET. SCIENT. UPSAL., REG. SOCIET. SCIENT. ET LITT. HUM. GOTHOB.,
REG. SOCIET. HISTOR. SCAND. STOCKH., REG. SOCIET. SCIENT. NIDAROS.,
REG. SOCIET. ANTIQV. HAFNIENS. SOCIET. LITT. ET ART.
MITAVIENS. MEMBRO, NEC NON SOCIET. LITT. ISL.
HAFNIENS. CET. MEMBRO HONORARIO.

P. P.
CAROLUS WILHELMUS PÅLMAN
STIP. GRÖNVALL.
VESIMANNO-DALEKARLUS.

IN AUDIT. GUSTAV. DIE XI JUN. MDCCCXXXI.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
EXCUDERANT REGIÆ ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.



De Huldaste Föräldrar

helgadt

af

Sonlig kärlek och tacksamhet.



TESTAMENTUM

CATHARINÆ JAGELLONICÆ, REGINÆ SVECIÆ,
EX SCHEDIS BIBLIOTHECÆ ACAD. UPSAL.
EDITUM.

Clandestina illa, ad defraudandam Reformationem
Lutheranam recens enata, callide excogitata con-
silia, in quibus peragendis partes præcipuas in se suscepit
Jesuitarum ordo vix tum adultus, in firmissimum labantis
Romanae sedis præsidium mox evector, nec Sveogothicam
Ecclesiam intentatam reliquerunt.

Per opportune scilicet accidit, ut JOHANNES, hujus
nominis Tertius, tum temporis Dux Finlandiæ, virginem
Principem Religioni Romano-Catholicæ addictissimam,
CATHARINAM JAGELLONICAM matrimonio secum junxe-

rit. E Polonia, sacerdotibus catholicis, famulatioque ejusdem confessionis stipata numerosissimo, nostras appulit oras. Ea igitur, haud longa interjecta mora, internecino fratrum odio, una cum marito Principe in carcerem missa, per quattuor et quod excurrit annos diræ captivitatis solitudini devota, non est quod miremur, si sat amplam nacta est occasionem ad illaqueandum conjugem, qui amorem ejus fidemque in omnibus expertus est. Fata tandem viam inveniunt. JOHANNES e vinculis liberatus, Fratrem mox supplantato, summa imperii potitus est.

Aderat jam ipse temporis articulus, quem avidi expectaverant Papistæ, quo sua tutius struerent molimina. Quot et quantas ærumas perpessa est Ecclesia Sveogothica turbis sic dictis Liturgicis, Papismi prænuntiis, omnibus in confesso esse arbitramur, præsertim eo inde tempore, quo non solum in Pontificis gratiam, Legatis Romam missis *), JOHANNES Rex redire anhelavit, sed

*) Nimirum Pontus Delagardie et Petrus Fechten Reginæ a sacris. Ægid. Girs, K. Joh. III Hist. p. 58.

III

etiam ad amplectenda Romanorum sacra a thori socia, obstetricante Jesuitarum manu, se induci passus est *).

Hoc desiderium, hos conatus spirat Testamentum Reginae CATHARINÆ JAGELLONICÆ, quod hactenus nemini Historicorum nostratium præter Fantium innotuit **). Anecdoton ideo hactenus ineditum ad fidem Apographi in collectaneis Celsianis Vol. xxii in Fol. Bibliothecæ Academicæ Upsaliensis asservati, jam integrum sistimus. Sermo Latinus haud inelegans, stilus flexanimus. Liberos ad constantiam in Religione sua hortatur Regina mater, hæc insuper addens:” ut summa lætitia spectassemus Regnum hoc (Sveciæ) ad Deum patrum suorum et ecclesiasticæ disciplinæ regulam, ipsamque adeo unitatem pacis Ecclesiæ Christi nostris temporibus redire, ita hoc etiam quoad licuit conatas

*) D. 16 Maji 1578! præsentem Antonio Possevino Jesuita, nuncio Pontificis, qui Legati Cæsarei titulo et tegmine tutus clam huc advenerat.

***) Cfr. Obs. Selectæ Fasc. II. P. I.

IV

fuisse urgere.**) Sibi ipsi de cetero sepulchrum illic exorat et præoptat "ubi antiquæ exstant pietatis inviolata vestigia", vel in sacello arcis Holmiensis, a R JOHANNE, in usus Reginæ magnifice adornato. Familis suis, omnibus ferme Nationis Polonicæ, quattuor florenorum millia legat, eisque etiam liberam regnum relinquendi potestatem expostulat. Quod vero narrant Historici nostri, Reginam CATHARINAM Seminario Jesuitarum Brunsbergæ x millia Thaleror legasse, in gratiam Svecorum Juvenum, qui in Religione Romano-Catholica instituerentur, id præsens silet anecdoton, nisi quod peculiari codicillo hoc firmatum voluerit Regina. Præsens vero Testamentum datum an. 1585 die 15 Septembr., tribus itaque mensibus ante Reginæ e vita decessum d. 16 Novembr. anni ejusdem, manu forsitan exaratum est P. Stanislai Warsewitzii **) Jesuitæ sat litterati, Reginæ a sacris primarii.

*) Vid. infra p. 8.

**) De quo cfr. Westén, Sv. HofCler. Hist. T. I. p. 214.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS DEI AC DOMINI NOSTRI. AMEN.

Quandoquidem Divinitus sancitum est, Vitæ hujus stationem omnes, quicumque in eam veniunt, deserere oportere, nec aliud quotidie insidiatrix, importuna et turbulenta mors, quam hoc tributum ab hominibus extorqueat; cetera reliqua arguens vanitatis propter Christianam vigilantiam. Ideo nos Catharina Jagellonica D. G. Infans Poloniæ etc. in præsentiarum Conjux Ser:mi P:pis Johannis tertii D. G. Regis Sveciæ etc. attentius considerantes communi lege nos eandem vitam sortitas esse, eoque nobis propius humanam necessitatem hujus calamitosi tabernaculi depositionem impendere, quo magis violenta et diuturna dolorum tortura attritum et conquassatum est. Itaque utinam Pater misericordiarum non protrahat misereri, indulgentissimaque pietate tempora hujus certaminis abruptat ad salutem. Animo igitur adhuc maturo et libero, expeditis et expiatis ante omnia animæ secretioribus rationibus ad intuitum miserationum Christi redemptoris et Judicii ejus

visibiliter in terris tribunal, Reliqua incerta et occulta, extremumque fragilitatis nostræ in ipsius paternas manus et viscera projicientes, extremam etiam istam vocem de aliis extrinsecis juxta ipsius sanctum afflatum relinquere volumus: Ut si quos forte obitus noster affecerit, rerumque nostrarum conditio procuratores novos deposcere merito visa fuerit, supremum hoc Voluntatis nostræ decretum in promptu sit.

In primis igitur Sereni Regis Domini et Conjugis nostri amantissimi memores, pro amore, benevolentia, fide idque genus multis officiis ac meritis, quas sincero animo hactenus nobis S. Mitas testatas fieri voluit, quantas possumus maximas referimus gratias. Illud qua licet animi submissione requirentes, ut S. R. Mitas errata nostra, et alia id genus, quibus per impotentiam nostram molestæ et importunæ esse potuimus S. R. Miti, bona venia prosequatur et clementi animo condonet: Quemadmodum nobis fixum est, nunquam conqueri, et alta oblivione universa sepelire. Quia etiam quem morem hic libentissime tenuimus, ita in illa regeneratione et regione Viventium (ad quam nobis aditum copiosa illa redemptoris nostri bonitas inæstimabileque mortis ejus pretium pollicetur) non intermitteremus supplicare, ut ipse conditor et redemptor ex abundantiore illo thesauro miserationum suarum Cor S. Mitis locupletet et faciet secundum

Cor suum. Iraque moderetur consilia et vitæ ipsius munera, quo illa digna vita immortalis evadant. Atque omnino ut R:ca Illius M:tas, deposita hujus administratione Imperii, ad illius beati et sempiterni fruitionem provehi, et coronam Immortalitatis per justitiæ et pietatis cultum adeptam videam, eique æternum congratuler in congregatione Sanctorum, cum apparuerit exaltatio nostra gloria magni Dei et Salvatoris.

Dehinc vero contradimus et commendamus R. S. M:ti pignus istud consuetudinis et conjunctissimæ voluntatis nostræ communes Liberos *), petentes, si quid attinet ut eo amoris complexu quo illos fovere hactenus dignata est, imo cum post obitum nostrum partita ante providentia in ipsam solam refluxere debeat, geminato jam et aucto, ipsos prosequatur, benignissimique patris et tutelaris erga ipsos animum gerat: præsertim iis in rebus quarum comparatione cetera omnia recte existimantur: lusus et deceptio. Hoc est ne dum ipsi per ætatem a malitia et lenociniis hujus seculi pro suo gradu minus sibi cavent improborum parasitorum aliorumque id genus levium hominum fraude et nequitia ad iniqua consilia et vivendi perversitatem præcipitentur. Et ubi cardo totius rei volvitur, ne vel timorem Dei suæ temeritati postponent, vel tempestuosa hac et tumultuaria dogmatum in Religionis Sa-

*) Sigismundus filius natus 1566, filiaque Anna nata 1568.

crossanctæ negotio velitatione, quæ hic undique posita est illis in ruinam et scandalum perturbentur et inficiantur. Hic nempe metus cum antea nos semper anxios habuerit, tum isto extremo tempore ita spiritum conficit, ut si quo infelici turbine in tantum discrimen deferri deberent, omne materni officii et affectus experimentum voluisse prius ejurasse.

Jam vero deinceps R. S. M:tis pietati commendamus has exuvias nostras contortum hic videlicet et ad extremam deformitatem redactum illud corpusculum, ut supremum, utque æquitas postulat, munus illi impendat. Quod, etsi non dubitamus, S:m R:m M:tem pro sua voluntate cunctate præstituram, tamen ei quod mentem pungit, exprimendum est. Nihil nobis a S. Clementia in hoc genere exhiberi poterit gratius, quam si ritu istorum hominum, cum quibus a prisca majorum religione peregrinari noluimus, funebria apparari non jusserit, nec quicquid ab eorum curatoribus quo ad Deum circa nos agi. Ac omnino nec sepulchrum in iis locis erigi, quæ ipsi novis legibus invaserunt et occupant, sed vel illic ubi antiquæ exstant pietatis inviolata vestigia *), vel ad extremum in hoc Stocholmensis arcis delubro ad Altare Dei, quod ultimis hisce nostris diebus S. M:tas devotionis nostræ causa et nostrorum exstrui mandaverat. Cujus voti cum

*) Monasterium Wadstenense forsân præoptavit Regina.

non leves alias rationes habuerimus, tum illa in primis urget laudatissima, quod libentissime cerneremus eo loci, ubi fuerint hæc ossa arida deposita, nostræ tenuitatis memoriam fieri, Deumque magnorum beneficiorum erga nos auctorem glorificari. Ceterum, si etiam hic infelices fuerimus, nec quicquid obtineamus, illud restat ut ad extremam Patientiam confugiendum sit. Confidimus tamen Serenissimum Regem, Deumque N. Clemens et amabilem conjugem non tam difficilem futurum, ut ad hanc ultimam desiderii vocem exilem excludere debeat: nec quicquid omnino qualibuscunque nostris erga S. Matrem obsequiis hoc tempore tribuendum putet: atque omnino, ut affectuose auguramur, exorari se patietur. *)

De apparatu autem nostro idque genus rebus nostris istud esto, quod S. Matris secundum Deum fieri debere iudicaverit, modo ut Liberi nostri hac in parte monumentum dilectionis et studii habeant perpetuum eoque perfruantur. Quod reliquum est commendamus etiam affectuose S. R. Matris familiam Christi Catholicæque Ecclesiæ adhaerentes, qui in S. Matris regno versantur aut versabuntur postea, ut eos institutis suorum patrum vivere et Deum colere permittat. Quamquam

*) Nihilominus Johannes Rex justa funebria in templo cathedrali Upsaliensi magnifice celebrari jussit d. 15 Febr. 1584, sacra peragente Archiepiscopo Andrea Laurentii Bothniensi.

nos antea gratiam illis usque ad mortem testatæ sumus, eam pro modulo in S. Mite experiri possint. Maxime vero ut locum aliquem pietatis causa hic obtineant: quemadmodum nos curare coeperamus, in quo pro regno et nobis Deum patrum nostrorum deprecetur. Commendamus et nostram domesticam familiam, maxime vero quæ non hujus est nationis, ut cum nos ablatæ ab eis fuerimus, gratiam, opem, protectionem, liberalitatem S. Mitis experiantur, liberum transitum ex regno habeant; quibus etiam quo melius nos consuleremus, quæ eorum studia erga nos fuimus expertæ, ex pecunia 4000 florenorum Ungaricorum, quos ea causa servaveramus, hoc modo qui sequitur solutionem fieri debere decrevimus.

Sacerdoti seni Alberto*), qui nobis inde usque ab incubulis nostrisque majoribus adhæsit, numerentur 800 thaleri. Manis duabus simul 800 thaleri, ita ut singulis 400 cedant. Lancki et Rilcki alios 800 accipiant, unus-

quisque	400 thaleros.
Stanislaus Major	200 habeat.
Sebastianus	150 thaleros.
Mist Rykowa cum Marito	200 thal.
Zaletski	100 thal.
Slaski	100 thaleros.

*) Desideratur ap. Westén, Sv. Hofcler. Hist. T. 1. p. 214.

Sacerdotibus Societatis Jesu *) attribuimus elemosi-

nae loco	-	-	-	-	-	500 Ducatos et
						100 thal.
Hospitali Stocholmensi	:	-	--	-		100 thal.
Ex eadem pecunia Hieronimo	-	-				40 thal.
Eschildo	-	-	-	-		20 thal.
Johanni fidicini	-	-	-	-		10 thaleros.
Sacerdoti Laurentio Magni	-	-				50 thal.
Szwstrowa	-	-	:	-		50 thal.

Ex hac porro pecunia quam S. Rex a nobis antea petitam detinuit, cupimus Gynæceum utrumque contentari, ita ut iis Virginibus, quæ in superiori versantur, singulis 50 thaleri dentur, quod idem de matronis earum Curatricibus intelligemus, iis vero quæ sunt ex inferiori 20 thaleri, excepta Margaretha, quæ 50 ut superiores accipiat. Rogamus igitur S:um Regem, id ut ad quemque quod decrevimus perveniat dispensari rite mandet: ne illis sponsio et donatio hæc nostra levis potius evasio, quam solida servitii compensatio appareat: quò scimus nihil esse iniquius. Quin cum pauca adhuc ex pecunia nominata supersint, poterit aliqua fieri auctio supra id quod statuimus, iis qui diutius et fidelius videbuntur nobis servivisse, non neglectis etiam aliis quorum nobis nunc non succurrit memoria.

*) De quibus cfr. Westén, l. c. p. 214, quem hoc loco suppl.

Secundo, imperfectum nobis vitæ exactæ considerantibus, districtumque Dei omnipotentis iudicium pertimescentibus, quod in negligentis et peccatis alienis non paucos involvere novimus, protestari venit coram eodem Deo ac Domino omnium recessuum animi conscio, universis sanctis et dilectis ejus, quod ut summa lætitia spectassemus Regnum hoc ad Deum patrum suorum, et Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, ipsamque adeo unitatem pacis Ecclesiæ Christi nostris temporibus redire, ita hoc etiam quoad licuit conatas fuisse urgere: Sed cum ex aliis partibus vix intentio succederet, illud saltem nobis cordi fuit, ne qua ratione hac barbarie insolentis et detestandi moris hereseon imbecillus iste sanguis noster contaminaretur, custodivimusque carissimos Liberos ab ista peste quam diu cum eis fuimus: Ceterum quia nobis decedentibus ejusmodi injuriis et vexationibus maximo cum animæ periculo exponendos iri non dubitamus: Ideo hac ultima viscerum maternorum compellatione obtestamur illos per effusissimam charitatem, mortem et sanguinem Redemptoris, quo non solum aditum nobis ad vitam præparare, sed hic in terris etiam opulenta pascua, tranquillum receptaculum a turbine, unicum Ovine, unicum doctrinæ suæ invariabilis commentarium, felicius multo in cordibus suorum quam chartis exaratum: unicum Sacramentalis gratiæ usum relinquere dignatus est: obtestamur illos per unicam et infallibilem ipsius veritatem, quam visibile propugnaculum semper inter tot imposturas hominum dæmonum

hic sustinet: per ipsorum immortale animi bonum: per omnia dilectionis nostræ p̄cordia, quibus illos æternitati magis gloriosæ, quam huic mundo parere cupivimus, ut ea quæ nobis superstitibus ad vitæ normam hauserunt, bonum acerbum quod audierunt, quod assequuti sunt, Dei et nostra opera, quod ipsi ore nostro acceptum a majoribus legitima traduce religionis sanctæ tradidimus: ut hoc ipsum inquam tueantur, conservent, suo tempore magis etiam in se ipsis suscitent, in aliisque suscitandum curent. Quam cautissime vero inter tot offendicula, illecebras, commotiones, insidias rerum humanarum, quarum hoc seculum infelix juxta domini nostri prædicationem egregie ferax est, gradientur. Quoque minus in fraudem pelli ii possint, virilisque res ipsis dignas agant, bonos et peritos magistros probatissimæque pietatis sibi asciscant, aut potius actutum se recipiant ad illud tutissimum salutis propugnaculum, in quo omnes majores nostri militarunt, salutem quæsierunt, mortem oppetierunt, nosque post illos imbecilles, gratia Dei omnipotentis, nominatim ad eam Ecclesiam, cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est: cujus usque in hunc diem gubernacula sustinet Vicarium Christi in terris agens Gregorius Pontifex ejus nominis decimus tertius. Atque hoc si sequuti fuerint, pax illis et misericordia et benedictio sempiterna. Atque hoc est primum omnium quod illis relinquere possumus amoris nostri pignus. Cetera sunt leviora. De quibus etsi nihil a nobis dicto facile inter ipsos transigi posset, tamen rem ita declarare nostro motu visum est. Ex omnibus nostris volumus ut æqua sit inter ipsos partitio. Atque ita primum Mundus omnis noster, qui est in gemmis, vestimentis, aliisque id genus Cleodiiis, quorum curam gerit Lancki, facta æquali par-

titione in duplum, justaque æstimatione, illis cedit singulis
 sua pars. Deinde argentum, quod duabus arcis inclusum est,
 eodem modo dividetur. Idem et de pensione nostra Neapo-
 litana *) videtur, ut quidquid in singulos annos ex illis bo-
 nis obvenerit, pari jure æqualem portionem sibi possit quis-
 que vindicare, quod summa concordia et amore inter carissi-
 mos Liberos confectum iri nobis pollicemur et speramus: non
 solum hoc tempore, quo Si Regis et pietissimi Patris mō-
 deratione agentur, sed et deinceps quodocunque in posterum.
 Apparatum Ecclesiasticum sciant Deo esse sacrum, eumque
 curent iis servire usibus quibus par est: neque aliqua ratione
 prophanari. Atque hæc est ultima nostra voluntas de amore
 nostro versus nostros, Serimum Regem Conjugem, Liberos, ali-
 asque id genus res, quas hic relinquimus, ut fieri potuit cor-
 rexissemus illam melius, præsertim quoad dispensationem me-
 liorem cum familia, si diutius supervivere licuisset. Multa-
 que alia in animo habuimus de elemosinis faciendis, et aliis
 quibusdam, in quibus Deum glorificari, post nostrum etiam
 obitum, in memoriam nostri voluissemus. Quæ optamus ut
 pro aliqua portione Serimus Rex D:s et Conjunx semper a-
 mabilis ac Liberi exsequantur. Adeoque hæc omnia, quæ supra
 descripta sunt, cordi habeant: Per omnem immortalitatem no-
 bis gratificari, ut nullus servulorum de nobis merito queri
 possit. In quorum testimonium et Sigillum affiximus nostrum
 et manu propria subscripsimus nocte ipsa media, qua obitus
 noster urgebat, post octavas Nativit. B. M. Virginis, post di-
 em videlicet 15 Septembris Anni 15-83.

KATHARINA R.

*) Hos redditus ex parte matris suæ Bonæ Sfortziæ, filię
 Ducis Mediolanensis, Regina acceperat.



